DE CARMINE LATINO QUOD PERVIGILIUM VENERIS INSCRIBITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA
HONORES RITE ADIPISCENDOS
DIE XVIII. APRILIS HORA XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUST. HENR. HEIDTMANN.
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
A. REINHARDT, PHIL. DR.
G. NEUMANN, PHIL. CAND.
H. ROTTER, PHIL. STUD.

GRYPHIAE, MDCCCXLII.
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO,

AMPLISSIMO

C. W. GOETTLING,

PRAECEPTORI OPTIMO,

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Carmen illud nobilissimum, quod Pervigilium Veneris inscribitur, ut est tenerum et dulce, ita multa habet dubia perspectuque difficilia. Etenim non manifestum est, neque ubi festum solemne ad quod carmen pertinet, celebratum sit, nec quae fuerit solemnitatum ratio; quis carmen composuerit ambiguum est, num singulae strophae integrae sint versusque omnes bene ordinati, an complures temere transpositi rectius censeantur, inter viros doctos non constat. Nihilo secius carmen rhythmorum facilitate, verborum ac sententiarum ubertate et elegantia tam jucundum est, ut novi semper interpretes et critici exstiterint, qui si de festo solemni, aut de carminis auctore aliquid probabile tradidissent, aut carmen ipsum paulo emendatius edidissent, in re tam ancipiti satis profecisse videbantur. Quorum in numerum me velim receptum, qui me omnia quae restant satis interpretaturum et emendaturum minime pollicear, in singulis tamen habere mihi videar, quo aut meliora commendentur aut certe falso adhuc tradita antiquentur. Quaeram igitur primum ubi et qua ratione festum illud solemne, quod Pervigilium Veneris dicebatur, celebratum sit; deinde, a quo poëta carmen compositum esse videatur; denique locos quosdam in carmine corruptos emendare conabor.

I.

Ubi et qua ratione Pervigilium Veneris celebratum sit.

Festum solemne quod Pervigilium Veneris dicebant, vere ineunte per tres noctes choris cantuque in nemore peractum esse, ex ipso carmine apparet; nec minus qualis Venus illis noctibus pervigilibus celebrata sit, perspicuum est. Aetheris enim cum Tellure nuptiae cantantur, ex quorum divino connubio Venus nata esse dicitur, quae mox foecunditatis et vitae omnis parens et per aërem, terram, pontum dominans, dulces excitet avium concentus, prata floribus vestiat, homines animaliaque quamvis fera jucundo amoris vinculo consociet. In tali carminis argumento non inest, quod miremur; nam ver recens ubi terra, foecundis imbribus soluta, flores frugesque promittit et quidquid spirat novo vivendi amandique studio expletur, etiam alias divinum coelestium connubium dici solitum esse, quis est, quem fugiat? Id vero offendit, quod illum ἱερὸν γάμον carmine Latino eoque in usum pervigilii publice instituendi composito, tractatum invenimus. Etenim illa fabula, Coelum et Tellurem connubio [1]) contineri, ex phy-

[1]) Scriptorum et Graecorum et Romanorum locos, in quibus haec theogamia commemoratur, satis multos collegit Wernsdorf. poëtt. Latt. minn. T. III. p. 537 sqq. et Lobeck. Aglaoph. T. I. p. 608 sqq. Qui ἱερὸς γάμος quam diversis Diis tributus sit, docet Proclus ad Parmenid. II, 214. Οἱ θεολόγοι ταῦτα αἰνίσσονται διὰ τῶν

sico Graecorum cultu originem duxit, in eoque solo vigebat, ut quae a poëtis Romanis [2]) similia commemorentur ex Graecorum loquendi usu extrinsecus petita, neque vero e cultu Romano aut populi conscientia dicta esse videantur.

Porro Venerem unquam tantos honores apud Romanos adeptam esse, ut digna videretur, cui festum solemne tam amplum, quam in carmine descri-

---

ἱερῶν γάμων· ἁπλῶς μὲν γὰρ τὴν κοινωνίαν τῶν θείων αἰτίων μυστικῶς γάμον προσαγορεύουσι· ταύτην δέ τοτὲ μὲν ἐν τοῖς συστοίχοις ὁρῶσι καὶ καλοῦσι γάμον Ἥρης καὶ Διός, Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, Κρόνου καὶ Ῥέας, ποτὲ δὲ τῶν καταδεεστέρων πρὸς τὰ κρείττονα καὶ καλοῦσι γάμον Διὸς καὶ Δήμητρος, ποτὲ δὲ ἔμπαλιν τῶν κρειττόνων πρὸς τὰ ὑφειμένα καὶ καλοῦσι Διὸς καὶ Κόρης γάμον.

Poëtae Romani in hoc divino connubio Aetherem maxime Terrae maritum appellant pro Coelo. Sic Lucret. I, 251 sq.:

Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether
In gremium matris Terraï praecipitavit.

Virgil. Georg. II, 325 sq.:

Tum pater omnipotens foecundis imbribus Aether
Conjugis in gremium laetae descendit —.

Pervigili auctor, v. 59. (v. 55.):

Cras erit quo primus Aether copulavit nuptias.

2) Poëtae Romani aeque quidem atque Graeci de Deorum diebus natalibus loquuntur, sed multo diversa ab illis significatione. Graeci enim, inde a Pelasgorum physico cultu, quo die singuli Dii nati essent traditum habebant, eosque dies natales celebrabant; Romani contra cum de coelestium ortu et progenie a majoribus nihil accepissent, diem quo prima aedes dedicata erat, Dei incolentis natalem habebant eumque in fastos referebant. Conf. Lobeck l. l. p. 434 sqq.

bitur, instituerctur non est verisimile, praesertim cum pervigilia publica, eaque per tres noctes celebrata, Romanis moribus repugnent.

Permodici honores, quos Venus antiquitus [3]) Romae habuisse videtur paulatim augebantur quidem, quod his maxime duabus de causis factum esse existimo. Primum enim periculosis illis reipublicae temporibus, cum Hannibal Italiam superiorem occupaverat et Romanorum maxime interesse debebat, ut Graeciam magnam atque Siciliam locupletissimam secum arctius conjungerent, quo Siculorum animos sibi conciliarent, Aphroditae cultum, quippe qui in Sicilia celeberrimus esset, ab Eryce monte in urbem receperunt. Inde Veneri majores honores concedebantur, templorum numerus augebatur et Deae varia cognomina imponebantur. Nihilo secius Veneris cultus effloruisse et viguisse non videtur priusquam Julia gens hujus Deae progenie glorians, suam majestatem stabilire cuperet templis illi exstructis. Sic Julius Caesar Veneri Victrici aedem dedicavit, et Segestanis postulantibus Tiberius aedem Veneris montem apud Erycem vetustate dilapsam, „libens ut consanguineus“ restauravit. (Tacit. Ann. IV, 43.) Etiam in posterioribus imperatoribus haec Veneris colendae cura fortasse non desiderabatur; at ut illa in publico Romanorum cultu digna habita sit, quae triduanis sacris celebraretur, tantum abest, ut ne festum anniversarium quidem publice peractum Romae

---

3) Macrob. sat. 1, 12. Conf. Engel. Kypros T. II, p. 530.

habuerit. Ovidius quidem, Fast. IV, 133 sqq. de sacris anniversariis Calendis Aprilibus Veneri Verticordiae peractis mentionem facit, quo inductus Wernsdorfius (Poëtt. Latt. minn. T. III, p. 429 sqq.) Pervigilium Veneris opinatus est ad illum Verticordiae cultum pertinere. At utriusque festi natura et ritus omnino diversi sunt. Sacra, quae Ovidius commemorat, instaurata erant ob virginum Vestalium incestum ideoque suppliciorum instar agebantur, matronis precantibus ut Dea mulierum mentes a turpi libidine ad pudicitiam converteret. Tali festo, in quo pro antea peccatis venia petebatur et pro vita futura vota fiebant, ritus accommodati sunt, quos Ovidius describit:

> Aurea marmoreo redimicula solvite collo
>   Demite divitias: tota lavanda Dea est.
> Aurea siccato redimicula reddite collo
>   Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.

Nihil ejusmodi in Pervigilio inest, nihil quo mulieres a libidine absistere jubeantur, sed hoc potius moneantur, ut Veneri ad amores incitanti obsequantur. Porro nihil de templo aut Deae simulacro in carmine dictum est, cum omnia in nemore peragantur; nihil de ritibus interdiu absolvendis, sed pervigilium tantum cantatur, per tres insequentes noctes celebrandum. Ovidius solas matronas commemorat, Pervigilii auctor puellas adesse perspicue docet stropha quarta, nec minus versu intercalari: „Cras amet qui nunquam amavit.“ Wernsdorfius quidem ceremonias ab Ovidio descriptas in myrteto peractas

esse arbitratus est, quoniam mulieres „sub myrto“ lavari juberentur, sed his verbis nihil aliud indicari, nisi mulieres myrto coronatas ex Plut. Num. 19. ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται, qui non nolit, intelligit. Aliquid discrepantiae inter Verticordiae cultum et Pervigilium inveniri Wernsdorfius concessit quidem, ita tamen, ut ritus, qui Ovidio vivo observarentur, recentiore tempore mutatos esse opinaretur. At non modo in rebus sacris, in quibus prima rituum institutio apud omnes populos religiose vindicari solet, sed in nullo unquam instituto publico mutationem, qua antiqui nihil servaretur et omnia in contraria conversa essent fingere debemus. —

Publicum Deorum cultum Romae diximus a pervigiliis alienum fuisse. Qua de re priusquam disseramus de ipsa voce pauca praemittamus videtur opus esse, ne, ut fieri solebat, vocabula inter se similia prorsus idem significare arbitremur, quamvis quo discrepent satis habeant. Quid intersit inter verba „vigilare“ et „pervigilare“ qui se nescire confiteatur, vix quemquam inveneris; in nominibus tamen ab his ipsis verbis deductis viri quidam docti praepositionis vim adeo negligebant, ut vigiliam a pervigilatione aut pervigilio non discernerent. Facile autem est perspectu vigiliam agere unumquemque qui in noctis aliqua parte somno se non dedat, pervigilationem vero eum tantum ferre qui totam noctem insomnem ducat. Eadem praepositionis potestas manet in voce pervigilii, quod, nisi per totam noctem durat,

non est pervigilium[4]). Quid porro intersit inter pervigilationem et pervigilium ex ipsis nominum formationibus quilibet intelligit; et pervigilium apparet noctem festivam esse, in Dei alicujus vel numinis superioris cultu occupatam, pervigilationem contra eorum hominum esse actionem qui noctem pervigilent[5]).

Non desunt quidem pervigiliorum Romae peractorum testimonia, in quibus Livii (XXXIX, 8) de Bacchanalibus narratio locum principalem obtinet. Sed ipse Livius docet Bacchanalium nocturna sacra a Graecis ad Romanos translata esse, atque e severitate, qua senatus Bacchis initiatos tota Italia persequebatur, quantopere a Romarorum moribus talis Deorum cultus alienus fuerit satis apparet[6]). Etiam postea mysteria occulta et pervigilationes virorum cum mulieribus in templis institui non licitum fuisse testatur Dionys. Hal. Antiqq. R. II, 19: *οὐ βακχείας καὶ τελετὰς ἀποῤῥήτους, οὐ διαπαννυχισμοὺς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξίν.*

---

4) Quapropter sacrum nocturnum, quod Livius XXX, 35 a Campanis et Cumanis factum narrat, a Lipsio et Wernsdorfio, Livii verbis male intellectis, injuria pro pervigilio acceptum est.

5) Vox „pervigilia“, ex prima declinatione flexa, non satis stabilita est, nam Just. XXIV, 8, quo solo loco inveniri videtur, alii legunt „pervigilii“, quod nescio an unice rectum sit.

6) Conf. Serv. Aen. IV, 302. „Sacra Nyctelia, quae populus Romanus exclusit turpitudinis causa.“

Hoc quidem negari non potest Deabus sacra nocturna a mulieribus Romae peracta esse, eaque non improbante populo, sed quantum sciam, in solius Cereris cultu illa concessa erant [7]. Neque injuria pervigilia vetita erant crebescere, cum ne Cereris quidem nocturnum sacrum ea, qua debebat castitate ageretur; ut jam Plauti tempore dici posset (Aulul. IV, 10, 64) „Ego me injuriam fecisse fateor filiae tuae Cereris vigiliis per vinum atque impulsu adolescentiae.“ Sic Caecilius quoque (Gell. N. A. II, 23) filiam hominis pauperis in pervigilio vitiatam esse fertur dixisse.

Sub imperatoribus, lapsa antiqua morum integritate pervigiliorum frequentior est commemoratio, quae quidem inter se tam diversa fuisse videntur ut plura eorum genera commode distinguantur. Quorum primum iis pervigiliis efficitur, quae pro populo rite facta sunt; sed hujus generis unum tantum exemplum ad nos pervenit. Cum enim Nerone imperitante magna urbis pars incendio concremata esset, quo ira Deorum placaretur, inter alias ceremonias etiam pervigilium celebratum est a feminis quibus mariti erant [8]. Alterum genus ea complectitur, quae non pro populo agebantur, sed ex privatorum arbitrio. Talia saepius facta esse verisimile

---

[7]) Cic. de leg. II, 9. Nocturna sacrificia ne sunto praeter illa, qua pro populo rite fient, neve quem initianto, nisi, ut assolet, Cereri Graeco sacro. Conf. l. l. c. 15.

[8]) Tacit. Ann. XV, 44.

est; nam civis quisque, qui a Diis aliquid petiturus aut pro beneficiis acceptis gratias solemniter acturus erat, sibi ipse pervigilationem imponere potuit. Quorum quidem pervigiliorum nescio an jam in his Plauti (Curcul. 1, 3, 25) verbis vestigium inveniatur: „Quid Veneri pervigilare te vovisti Phaedrome?“ Ejusmodi pervigilium Galba quotannis instituisse dicitur, Suet. Galb. 4: „Fortunae simulacrum in parte aedium consecratum menstruis deinceps supplicationibus et pervigilio anniversario coluit.“ Plura, quam quae modo laudavimus duo, de hoc pervigiliorum genere testimonia ideo non exstare existimo, quoniam quis privatus domi suae, vel alio loco a conspectu hominum remotiore, sacrum nocturnum fecisset scriptores aut nesciebant aut cur posteris traderent non habebant.

At latissime patet tertium pervigiliorum genus, cui ea omnia adjudicamus, quae aut merae comissationes et nocturnae epulae erant, aut, si quid divini in iis observatum est, magis certe ad cibos potusque consumendos quam propter pietatem institui solebant; quo factum est, ut quotiescunque hujusmodi pervigilium commemorant, Dei nomen, cui celebratum sit, nunquam addant. Sic Suet. Cal. 54: „Nec alia de causa videtur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur.“ Idem Vitell. 14: „In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.“ Quibus in pervigiliis quantum contra bonos mores peccatum

sit, apparet ex Tacit. H. II, 68: „Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis et Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora."

Quibus expositis apertum esse censeo apud Romanos ejusmodi pervigilium, in quo carmen de quo agimus cantari potuerit non inveniri. Carmen enim spectat ad solemnitates per tres noctes publice peragendas, inter Romanos vero ullum Veneris pervigilium unquam publice celebratum esse, nemo tradidit, sèd potius e testimoniis supra laudatis recte colligi videtur, in solius Cereris cultu nocturna sacra anniversaria rite facta esse. Ad alterum pervigiliorum genus, quae privata diximus, carmen non posse pertinere sponte apparet. Ab tertio vero genere, quod comissationes tantum et epulas amplectitur, in quibus Deorum cultus omnino negligebatur, carmen, Veneris laudibus redundans, est quam maxime alienum.

In iis quae adhuc disputavi, cum Romae tale festum peragi non potuisse demonstrare vellem, aliquot ipsius carminis indicia, quo loco pervigilium Veneris celebratum sit, consulto omisi; ad quae si nunc respicimus, eam regionem, cui carmen tribuendum esse videatur facile inveniemus. Etenim in stropha quinta Hybla tam aperte commemoratur, ut priores interpretes quo pacto huic Siciliae oppido carmen denegare potuerint, vix intelligatur. Qua de Hybla et de Graeca carminis origine jam Paldamus V. D. copiose disseruit in scriptione invitatoria ad examen solemne, Gryphiswaldiae 1830; quae si

in omnium manibus esset de eadem materia verba facere commode supersederem. Cum vero ille libellus quam difficile paretur ipse expertus sim, in usum aliorum, mea fortasse legentium haecce inde excerpere malui. P. 7. „Jam vero ex tribus Hyblis, quae fuisse perhibentur, Hyblam illam, quae major fuit, propter Aetnae vicinitatem intelligi necesse est. Ipsum oppidum inter Catanam et Aetnam situm, quae duodecim ferme miliaria distabat, prope Symaethi vallum (v. Mannert. Geogr. IX, 2. p. 287—293. 305 sq.) Strabonis aetate quidem jam dirutum erat, τὸ δὲ τῆς Ὕβλης ὄνομα συμμένει idem testatur VI, § 2. p. 267 ed. Almel. Aetna oppidum in montis cognominis clivo, Straboni cognitum (VI. p. 274) Pausaniae tempore erat desertum. Pulchritudo regionum florumque amplitudo cum ex Claudiano de Raptu Proserp. II, 78 ac Ciceronis Verrinis, ubi Aetnensis ager cultissimus vocatur, tum ex mellis multitudine et praestantia intelligitur; (v. Goethium Opp. XXVIII, p. 186 sq. Cephalidis Iter II, p. 54. 55).“ — P. 8. „Nescio (etiam) an Graecam originem illud indicet Veneris cognomem Dione, a solemni cantu Romanorum sane alienum, licet ab Horatio, Ovidio, aliis saepenumero usurpatum, cui Chelidon vox v. 90 et productio penultimae in Romuleas v. 72. ex Graeco fortasse verbo nata annumerari potest. Accedit denique Dianae commemoratio v. 38, quae item Graeco nomine Delia invocatur, ab Siculis ut σώτειρα religiosissime culta.“

Omnem fere Siciliae oram ad orientem versus,

in qua Hybla sita erat, a Doriensibus maximeque a Corinthiis occupatam, atque Syracusis, celeberrimae Corinthiorum coloniae quodammodo subditam, et, quod quidem Deorum cultum attinet, obsecutam fuisse, inter omnes constat. Itaque, cum quomodo Venus Hyblae culta sit nihil acceperimus, quae de Corinthiorum cultu tradita sunt ante omnia respiciamus necesse est, possitne inde aliquid ad Hyblaeum Veneris festum enucleandum commode adhiberi. Nusquam autem, non modo inter Dorienses sed tota Graecia Venus majoribus solemnitatibus culta est, quam Corinthi, de quorum Aphrodisiis prae ceteris memorabilis est Appuleji Madaurensis narratio. Ab Corinthiis enim narrat (Met. l. X, p. 217 sq. ed. Alteb.) pridie veris novi [9]) festum celebratum esse,

---

[9]) Illud spectaculum pridie veris novi institutum esse etsi Appulejus non expresse adnotavit, facili argumentatione demonstrabitur. Nam eodem illo die, quo die tempore vespertino judicium Paridis celebrandum instabat ver novum esse nondum coeperat, sed venturum sperabatur. Etenim Lucius ille, vel potius asinus cujus forma Lucius indutus erat, donec rosis comesis humanam speciem recuperaret (l. X, p. 217): „Plane tenui, inquit, specula solabar, clades ultimas; quod ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret, et jam purpureo nitore prata vestiret: et commodum dirupto spineo tegmine spirantes cinnameos odores promicarent rosae, quae me priori meo Lucio redderent." Itaque de vere novo non tanquam de praesente et jam orto loquitur sed ut de futuro, quamvis proxime instante; nam non gaudet quod ver jam redierit, rosaeque jam promicarint, sed sperat tantum ver novum cum rosis paulo post oriturum esse. — Atque si illo die ver esse jam coepisset, rosarum, quae

quod „judicium Paridis" dixerint, quodque sic descripsit:

„Puelli puellaeque virenti florentes aetatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Grae-

passim in ipso veris ortu promicare dicuntur, cur in judicio Paridis nulla mentio fieret, plane inexplicabile esset; praesertim cum (p. 218) „Mons ligneus — consitus viretis et vivis arboribus" commemoretur, et paulo post (p. 220) dicatur: „quae (Gratiae et Horae) jaculis floris serti et soluti Deam suam propitiantes, scitissimum construxerunt chorum, dominae voluptatum veris coma blandientes"; quibus in descriptionibus, nec minus alibi, maximeque in ipsius Veneris et puellarum ornamentis, rosae Veneri sacrae, eaque natae habitae, aptissime poterant commemorari. Quod autem neque in judicio Paridis, neque in Veneris festo, quod illud statim excepit, rosarum ulla facta est commemoratio, qua tandem ratione explicari poterit, nisi quod festum ipsum ante ver novum institutum sit, ubi illi flores, aut quod revera nulli inveniebantur adhiberi non poterant, aut, ut verisimiliora dicam, quod qui inveniebantur, cum ante ipsius Veneris diem natalem orti essent, ideoque hujus Deae progenie et tutela non uterentur, in solemni pompa et saltatione adhiberi non debebant.

Quodsi igitur manifestum est judicium Paridis ante veris ortum celebratum esse, quanto temporis spatio alterum ab altero distiterit, haud difficile est perspectu. Postquam enim asinus aureus, relicto Corinthiorum spectaculo, cursu celerrimo Cenchreas pervasit, noctu Venerem vidit tanquam die natali pelago medio emergentem (p. 224), quae (p. 226): „Diem inquit, qui dies ex ista nocte nascetur aeterna mihi nuncupavit religio: quo sedatis hibernis tempestatibus, et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes. Quae navigationis redintegratae celebratio (cf.

canicam saltantes pyrrhicham, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotatim flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi; et in quadratum patorem cuneati, et in catervae dissidium separati." —

„Erat mons ligneus, ad instar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idaeum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis et vivis arboribus, summo cacumine, de manibus fabri fonte manante, fluvialis aquae eliquans. Capellae pauculae tondebant herbulas: et in modum Paridis Phrygii pastoris, barbaricis amiculis humeris defluentibus, pulcre indusiatus adolescens aurea tyara contecto capite, pecuarium simulabat magisterium."

Advenisse etiam commemorat Mercurium personatum, caduceo et virgula insignem, insecutam esse

p. 234) quo die apte institui potuit, nisi in ipso veris ortu? Accedit quod ver novum satis perspicue descriptum est p. 227. — Nec, quam in praecedentis diei festi descriptione deesse diximus, rosarum commemoratio etiamnunc desideratur; sed Isidis sacerdos in ipso procinctu pompae roseam manu dextra sistro cohaerentem gestat coronam (p. 226. cf. p. 231). Quae quanti in eo Veneris vel Isidis — nam Venerem et Isidem tunc non jam diversa sed paria numina habita esse, ex ipsius Deae allocutione proxima nocte ad asinum aureum facta sponte apparet, — festo ducta sit, jam inde intelligitur, quod ab ipso sacerdote gestata esse dicitur, et magis etiam ex asini ad humanam speciem reformatione elucet, quam non infimo sed summo tantum et peculiari sacro fieri potuisse ut est verisimillimum, ita ista corona comesa revera factam esse scriptor perhibet.

puellam diademate et sceptro Junoni similem, alteramque irrupisse Minervae partes agentem. „Super has“, ait, „introcessit alia visendo decore praepollens, gratia coloris ambrosei designans Venerem, qualis fuit Venus, cum fuit virgo, nudo et intecto corpore perfectam formositatem professa.“ His singulis Deabus sui accedebant comites; Castor et Pollux Junoni; Terror et Metus Minervae; Veneri multitudo laetissimorum parvulorum et teretes lacteique puelli fascibus praelucentes, Cupidines dicti, et decorae puellae, jaculis floris serti et soluti Deam suam propitiantes, Gratiae et Horae habitae, quae scitissimum construxerunt chorum, tibiis multiforabilibus cantus Lydios dulciter consonantibus. Atque paulo post de ipsa Venere Appulejus: „Haec“, inquit, „ut primum ante judicis conspectum facta est, nisu brachiorum polliceri videbatur, si fuisset Deabus ceteris antelata, daturam se nuptam Paridi forma praecipuam, suique consimilem. Tunc animo volenti, Phrygius juvenis malum, quod tenebat, aureum velut victoriae calculum puellae tradidit.“ — „Postquam finitum est illud Paridis judicium Juno quidem cum Minerva tristes, et iratis similes e scena redeunt, indignationem repulsae gestibus professae: Venus vero gaudens et hilaris, laetitiam suam saltando toto cum choro professa est.“

Quo quidem modo tunc Veneris festum perageretur Appulejus accuratius non descripsit. Nihil enim ejus intererat ea tradere, quae ubique invenirentur in Aphrodisiorum solemnitatibus; quamobrem

praelusione, quippe quae haud dubie variaret[10]), exposita, ad asini aurei fata redit.

Nihilo secius ex iis, quae adhuc enarravimus, a Corinthiis apparet pridie veris novi non solum festum celebratum esse, in quo Venus tanquam Dea potentissima et ceteris Deabus praeferenda coleretur, sed etiam ipsius Veneris personam in scenam prodiisse et cum Cupidinum et Gratiarum choro saltasse. Quod quominus etiam in pervigilio Hyblaeo credamus factum esse nihil impedit.

Itaque ab hoc choro circum Venerem saltante carmen, quod tractamus, cantatum esse arbitror, ideoque singulis saltationis partibus a poëta fuisse accommodatum.

Quae quidem saltatio, qua ratione peracta sit ignoramus; at id quod Corinthii[11]) pueri puellaeque sibi sumpsere, cum, in catervas separati, mutatis vicibus saltabant cantabantque, id certe Siculis etiam concedendum est, ne recreationis expertes perdantur saltandi laboribus.

Quamobrem carmen, de quo agimus, inter amoebaea carmina referendum esse censeo, utpote quod partim ab hac, partim ab illa caterva cantatum sit. Ipsius autem festi natura et carminis ratione permotus sum, ut duas omnino fuisse catervas crederem, alteram Cupidinum sive juvenum, alteram

10) Engel Kypros II, 175.

11) Appulejus enim p. 217 sq. loquitur de cantu turbae terminalis, quo plures una turbas fuisse et alteram post alteram cantasse satis elucet.

Gratiarum sive puellarum; inter quas ea lege carmen in universum divisum fuisse existimo, ut singularum stropharum dimidii versus ab his, dimidii ab illis cantarentur, ita tamen, ut ipsa Venus certis quibusdam locis cantum participaret.

Itaque videamus quid in hac divisione de stropha quaque statuamus.

v. 1.

Cras amet qui nunquam amavit; quique amavit cras amet.

Hic versus, quotiescunque repetitur, non ad ipsas strophas pertinet, sed intercalaris est, et ubique videtur a toto choro esse cantatus. Haud difficile intelligitur hic maxime quadrare id quod Appulejus l. I. dicit puellos puellasque interdum in orbe rotatim flexuosos inerrasse.

Stropha. I.

Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo:
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.

Hujus strophae tres priores versus Gratiis tribuo, posteriores Cupidinibus. Gratiae igitur saltantes veris reditum laudant, quod anni tempus prae ceteris aptum sit ad mutuos excitandos amores; etiam campis gramina redire frondesque arboribus. Quo facto, Cupidinum est eosdem „decoros ambitus“ repetere, sive, ut altera Appuleji voce utar „reciprocum discursum“ facere, quod dum agunt

Gratiarum simul sententiam quodammodo repetunt et fusius tractant, festum admonentes crastino die in casis myrteis instituendum, Venerisque, amorum mutuorum auctoris, in eo jurisdictionem.

Stropha **II.**

Postquam iterum omnes et Gratiae et Cupidines, versum intercalarem canentes, in orbe rotatim saltarunt, hujus strophae dimidium a Gratiis cantatum esse censeo.

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis
Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
Urget in nodos tumentes; ipsa roris lucidi
Noctis aura quem relinquit spargit humentes aquas,
Et micant [12]) lacrimae trementes de caduco pondere;
Gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos;
Hinc pudorem florulentae prodiderunt purpurae.

Sic Gratiae, antecedenti Cupidinum cantui assentiri non audentes, eo redeunt ut Deam laudibus extollant, quod recentes flores producat, in quibus pulcherrimam rosam, quam nascentem elegantissime describunt. Etenim Venere dicunt auctore in fruticibus agi gemmas (h. e. oculos, prima futuri floris indicia.), gemmas Favonii afflatu augeri in papillas (h. e. prima germina), papillas extumescere in nodas (h. e. alabastros) qui, rore matutino conspersi, florulentae purpurae pudorem prodant (h. e. rubescentes dehiscant ac sese pandant. Plin. H. N. XXI, 4).

---

[12]) Orellius, quem in universum secutus sum, scripsit „En micant", sed non est cur codd. lectionem „Et" sollicitemus, aut scribendum est „Emicant".

At frustra tentarunt Gratiae Cupidines jam antea lascivientes revocare; quidquid puellae dixerunt juvenes ita invertunt et interpretantur, ut ad voluptates crastino die in casis myrteis expectatas pertineat. Id quod eo facilius potest fieri, quia Gratiae de rosa canentes compluribus sunt apellationibus usae (papillae, lacrimae, pudor), quae non minore jure de puellis quam de rosis usurpantur.

Hoc enim sensu accipi velim versus insequentes:

Humor ille quem serenis astra rorant noctibus
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit mane totae virgines nubant rosae.
Facta Cypris de cruore deque Amoris osculis
Deque gemmis deque flammis deque solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea
Unico marita nodo non pudebit solvere.

Ecce elegans rosae nascentis cum virgine in matrimonium maturescente comparatio. —

Stropha III.

Gratiae contra queruntur de Venere ipsas Amore comite per lucum myrteum ambulare jubente, quia talis comes propter arma periculosus sit:

Ipsa Nymphas Diva luco jussit ire myrteo.
It puer comes puellis: nec tamen credi potest
Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.

Quas dubitationes ut removeant juvenes Amorem docent nudum et inermem incedere jussum esse:

Ite, Nymphae; posuit arma, feriatus est Amor.
Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est;
Neu quid arcu neu sagitta, neu quid igne laederet.

Ne vero puellae juvenum adhortationi fidem justo majorem habeant, ipsa Dea verum quidem ab illis dictum esse, Amorem nudum incessurum esse testatur, sed ea ipsa de causa non minus monet, sed magis potius puellis eum fore periculosum:

Sed tamen Nymphae cavete, quod Cupido pulcher est
Totus est in armis idem, quando nudus est, Amor.

Stropha IV.

Jam virgines, ipsa Venere jubente eas, modo ut ab Amore caveant, per nemus vagari, quid contradicant non habent. At recte meminerunt nemora, lucos, silvas in Dianae potestate esse, Venerem igitur jubere, quod invita Diana fieri nequeat. Quamobrem e campi aperti, in quo adhuc saltabant, medio, ad primas nemoris circumjacentis arbores et virgulta celeri cursu progressae, ibique (ut Appuleji verbis utar) in obliquam seriem connexae, hasce in Dianae regnum preces effundunt:

Compari Venus pudore mittit ad te virgines,
Una res est quam rogamus, cede, virgo Delia:
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret;
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriatos noctibus,
Congreges inter catervas ire per saltus tuos;
Floreas inter coronas myrteas inter casas.
Nec Ceres nec Bacchus absunt nec poëtarum Deus,
Detinenda tota nox est, perviglanda canticis;
Regnet in silvis Dione; tu recede, Delia.

Non suo igitur arbitrio, sed Veneris jussu, puellae ad Dianam sese dicunt venisse, sperareque

non immiti animo se receptum iri, cum virgines sint, castitate Dianae compares. Nec multa se petituras esse profitentur, sed unam rem, quam concedat virgo Delia, ut nemus liberum sit cruore ferarum. Ipsam Venerem precibus adituram fuisse Dianam, vel ad pervigilium celebrandum invitaturam, nisi talia ab illa propter pudicitiam despectum iri speraret. Etenim per tres noctes pervigiles catervas festivas per saltus esse vagaturas, Veneris insignibus ornatas; nec epulas, nec comissationes abesse, nec carminum strepitus, totasque noctes expletum iri canticorum clamore. Quae cum ita sint et esse debeant, penes Venerem necesse esse silvarum sit imperium, Diana igitur recedat.

Fusius hujus strophae sententiarum nexum exposuimus, ut quam bene composita sit appareat, quantumque puellae precantes absint ab eorum interpretum importunitate, qui jam in strophae initio verba: „cede virgo Delia" per „recede ex silvis" interpretentur.

Stropha V.

Petita igitur a Diana per saltus vagandi licentia, virgines, ad juvenum chorum regressae, pervigilii ritus et Veneris ex toro, floribus exstruendo, jurisdictionem describunt hisce quatuor versibus:

45. Jussit Hyblaeis tribunal stare Diva floribus
Praeses ipsa jura dicet, adsidebunt Gratiae.
Hybla totos funde flores, quidquid annus attulit:
Hybla florum sume vestem, quantus Aetnae campus est.

Ad quos juvenes alteris quatuor versibus sic respondent:

Ruris hic erunt puellae vel puellae montium
Quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontes incolunt;
Jussit omnes adsidere pueri mater alitis,
Jussit et nudo puellas nil Amori credere.

gaudentes puellarum numero et facete admonentes, ipsam Venerem eas cavere jussisse ab Amore praesente et propter nuditatem puellis periculoso. In versu extremo perspicua inest relatio ad versus 30 sq., quibus puellae ut cautae essent in credendo Amori monebantur; quapropter illos versus ipsi Veneri recte a nobis tributos esse, hoc juvenum testimonio affirmari videtur.

Stropha VI.

Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit, quo primus Aether copulavit nuptias;
Ut pater totum creavit vernis annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almae conjugis,
Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo
Caerulas inter catervas inter et bipedes equos,
Fecit undantem Dionen de maritis imbribus.
Ipsa venas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque coelum perque terras perque pontum subditum
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit jussitque mundum nosse nascendi vias.

Haec stropha vario modo adhuc laboravit. Tres illos versus, qui in codicibus primam stropham excipiunt, in hanc recipiendos esse, in iis,

quae de locis quibusdam emendandis diximus, primo loco est expositum. Quamquam non sufficit illa transpositio ad totam stropham sanandam; quod statim ex primo versu apparet, ante quem, nisi ipse transponendus est, dubium non est quin aliquid sit amissum. Quantum, qualis nunc est, judicare possum, totam stropham a juvenibus cantatam esse arbitror, excepto primo versu, qui cum iis, quos non accepimus, puellis videtur esse adjudicandus.

Stropha VII.

Ipsa Trojanos Penates in Latinos transtulit,
Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem.
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias
Unde Ramnes et Quirites proque prole posterum
Romuli patrem crearet et nepotem Caesarem.

Ex hac stropha facili opera suum cuique additur, tres versus puellis, tres juvenibus.

Stropha VIII.

Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt
Ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur.
Hunc, ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu;
Ipsa florum delicatis educavit osculis.

Nec difficilior est horum versuum dispensatio, quorum duos ad puellas, duos ad juvenes pertinere existimo.

Stropha IX.

Ecce jam super genestas explicant tauri latus:
Quisque tutus, quo tenetur conjugali foedere
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges
Et canoras non tacere Diva jussit alites.

Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt
Adsonat Terei puella subter umbram populi
Ut putes motus amoris ore dici musico
Et neges queri sororem de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus. Quando ver venit meum
Quando ego [18]) fiam ut Chelidon, ut tacere desinam?
Perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit.
Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.

Horum duodecim versuum distributio suas habet difficultates, cum quominus ex iis sex priores virginum, posteriores juvenum choro adjudicemus et verborum structura (qua versus sextus cum septimo arcte conjunctus est) et ipse sensus impediat. Etenim extremos quatuor versus non juvenibus, quippe qui se chelidonis instar cantare non posse et a Phoebo neglectos esse inepte querantur, sed puellis apparet tribuendos esse. Quodsi verum est, jam propter saltationis aequalitatem alteri quatuor versus eligendi sunt, quos juvenum esse dicamus. Fortasse igitur ab juvenibus primi totius strophae quatuor versus cantati sunt; medii autem quatuor nescio an sint ipsi Veneri tribuendi. Qua ex divisione sententiarum hic exsistit nexus et progressus.

Juvenes cum id agant, ut puellis nuptiarum praestantiam persuadeant, vel animalia contendunt Amoris vinculis velle teneri; etiam tauros, quamvis fortissimi sint, non repudiare tutelam, quae conjugio paretur; oves dulce quiescere hoedis custo-

[18]) Praetuli emendationem Salmasii.

dibus, et hilares avium concentus non audiri nisi Veneris benignitate excitatos.

Venus, ad cujus auctoritatem juvenes extremo versu quodammodo provocarunt, adauget illorum adhortationem ad puellas, dum cygnos dicit amore loquaces redditos esse, etsi non canoro, rauco tamen ore; quin etiam philomelam et hirundinem amorem potius quam tristitiam musico ore profiteri.

Tot tantisque claris exemplis propositis, puellae velle sese concedunt in matrimonium duci, ut omnium animalium fortunae et laetitiae participes fiant, neu nuptiarum expertes extremam sibi contrahant calamitatem. Id quod ut Gratiae profiterentur, jam inde ab carminis initio Cupidines appetebant.

Tali fere modo carmen quod tractamus videtur explicandum esse. Si quis vero in eo offendat, quod nostra divisio sibi ipsi non ubique satis constans esse videatur, cum carminis strophas modo inter duos choros diviserimus, modo Venerem quoque cantantem fecerimus, in ipsa illa saltatione fuisse suspicor, quo inaequalis carminis divisio comprobaretur. Quod quidem duos tantum locos invenimus (in tertia stropha et in nona) in quibus Venerem cantasse diceremus, nescio an fortuna adversa factum sit, ut tertius quidam locus quem Venus sibi sumpserit e carmine evanesceret. Sexta enim stropha, ut jam supra dictum est, videtur manca esse, quae si integra esset, quod Veneri adjudicaremus forsitan exhiberet; quo facto, in tertia quaque stropha Dea haud incommode loqueretur. Atque id quoque, quod in ultima

stropha priores versus non puellis sed juvenibus cantandos tribuimus, in ipsa saltatione suam, opinor, habuit excusationem. Etiam inter nos si quis carmen amoebaeum in saltationibus quibusdam nunc usitatis canendum componeret, eadem mutandi ordinis licentia uteretur necesse esset. Atqui quod in talibus peccatur, leviter peccatur. Adnitendum vero est, ut quid carminis argumentum sit ex divisione appareat, utque caveatur juvenum et puellarum choris ne diversus in eadem stropha versuum numerus tribuatur; idque est ex nostra divisione poëta consecutus.

II.

A quo poëta Pervigilium Veneris compositum esse videatur.

Pervigilium Veneris quo tempore compositum esset, atque quis ejus auctor merito haberetur jam inde ab J. Lipsio viri doctissimi quaerebant et per tria saecula eo est hodie ventum, ut alii hanc quaestionem inexplicabilem esse arbitrentur, alii, dum ipsum carmen contemnunt, ne velle quidem quaerere videantur. Quae quidem de Pervigilii auctore et aetate adhuc tradita sunt, magnam partem levius sunt disputata, quam quae repetere multum attineat; tamen varias virorum doctorum sententias, quippe quae ad carminis historiam quodammodo pertineant, paucis adumbrare instituimus.

J. Lipsium primum diximus carminis auctorem quaesivisse; nam Ald. Manutius [1]), qui primus Pervigilium habuit, cum in libri manuscripti inscriptione, Catulli nomen exhibente, acquiesceret, auctorem non videtur curasse. Idem de Meursio [2]) profitendum est. Doctissimus Erasmus [3]) tam perspicuo errore certe non omnino tenebatur, sed jam dubitavit an Catullus non esset carminis auctor.

---

1) Lil. Gyrald. Dial. X de Poëtt.

2) Exercit. Crit. p. 143. — 3) Adag. Chil. 1, 9, 1.

Jos. Scaliger [4]) neque Ald. Manutio adstipulatus, neque contra codicis auctoritatem Catulli nomen rejicere ausus, ut utrique satisfaceret, et suae dubitationi et libro manuscripto, Catullo Urbicario [5]), cujus memoria per Juvenalem et Martialem ad nos pervenit, Pervigilium adjudicavit.

Tunc J. Lipsius [6]). Facili opera vir illustrissimus illos, quos adhuc laudavimus, refellit, multa docens in Pervigilio inesse e Virgilii carminibus desumpta. Nihilominus etiam hic veram Pervigilii aetatem non vidit, sed cum in vv. 73 sq. (72 sq.) „exquisitas adversus Augustum blanditias" perspexisse sibi videretur, carmen ab Augustëae aetatis poëta profectum esse putavit. Quis fuerit ille poëta, se nescire profitetur.

Longe aliud judicium Claud. Salmasius [7]) tulit, Pervigilii auctorem mediae aetatis poëtam fuisse censens et Solino supparem, quem duobus saeculis post Plinium vixisse docet [8]).

Casp. Barthius in codice Martisburgensi Pervigilium Senecae nomine inscriptum invenit [9]), tamen vir doctissimus Senecam carminis auctorem

4) Castigat. in Catull. p. 4.

5) Juven. 8, 186. 13, 3. Martial. 5, 30, 3.

6) Electt. 1, 5.

7) ad Solin. p. 277; ad Pervigil. v. 9 et v. 30.

8) Proleg. in Solin.

9) Praefat. in Spurinn.; ad Claudian. p. 147. (ed. 1612); in Adverss. XVI, 6. XXXXIV, 7.

esse nunquam pro certo tradidit, quamvis verisimile haberet; qua de opinione mox plura dicemus.

Petr. Scriverius [10]), qui in Salmasii libro manuscr. Luxurii quoque carmina, simulque versus „De qualitate Vitae" Flori nomine inscriptos legerat, aut Floro, aut Luxurio Pervigilium adjudicandum censuit.

Jo. Weitzius, Jo. Clericus [11]), Sanadonus, Abbas de Languere, de la Monnoye carminis auctorem non sunt ausi nominare, et quae de ejus aetate tradiderunt, hoc loco non opus est repetere.

Bouhierius Floro poëtae, quem Hadriano aut Trajano imperatore vixisse volunt, Pervigilium adjudicat; quam opinionem cum a Wernsdorfio [12]) diligentissime defensam videamus, quae accuratius tractetur et refellatur dignam habemus. Haec autem Wernsdorfii est argumentatio [13]). In pervigilio, inquit, multa insunt ex Lucretii, Virgilii, Ovidii, Columellae carminibus petita, quare quin auctor post Columellam vixerit non est dubium. Huc accedit, quod in Pervigilio multa deterioris Latinitatis vestigia inveniuntur, unde facile intelligitur, scriptorem ea linguae Latinae aetate vixisse, quae vulgo dicitur aenea. Quominus vero de poëta se-

---

[10]) Animadv. in Pervigil. Baudii Amor. p. 437.

[11]) Aut quisquis est auctor editionis Pervig. Vener. quae prodiit Hagae Com. 1712.

[12]) Poëtt. Latt. min. T. III, p. 448 sqq.

[13]) Wernsdorf. l. l. p. 483.

rioris aevi, quam quo Calpurnius florebat, cogitemus, complures Calpurnii loci, e Pervigilio desumpti obstant; et si nominandus auctor est vix alius occurrit, cui majore cum probabilitate hymnus iste tribuatur quam Florus poeta, qui sub Hadriano vixit.

Ad demonstrandam illam probabilitatem Wernsdorfius monet, in codice Salmasiano versibus quibusdam „De qualitate Vitae“ inscriptis „eodemque metro trochaico et genio“ compositis, Flori nomen praescriptum esse. Praeterea in eodem libro manuscr. epigramma „De Rosis“, quod perpulchre conveniat auctori Pervigilii, quippe qui pariter a rosarum praecipiti maturitate argumentum maturandi amoris ducat, Flori nomen in titulo habere. In libro Pithoeano quidem illos versus non Floro sed Florido tribui, sed haec nomina subinde a veteribus permutata esse, aeque ac colorus ac coloratus. Porro in Barthii codice Senecae nomen haud dubie eundem Florum poëtam indigitare; cum enim in plerisque veteribus libris Lucius Annaeus Florus, historiae Romanae auctor, Senecae nomen habeat, verisimile esse Annaeos quosdam Flori et Senecae cognomentum promiscue gessisse.

Tali disputatione Wernsdorfio jam constare visum est, Pervigilii auctorem Flori nomen habuisse; num vero Florus poëta simul Florus historicus esset, valde dubitavit [14]), veluti jam antea Bouhierius duos Floros distinxerat. Quin etiam inscriptione quadam

---

[14]) l. l. T. IV, 854.

(Gruter. Corp. Inscr. p. 614. n. 3) in qua Vibia Chelidon L. Vibii Flori uxor nominatur, haud multo post commotus est, ut hanc mulierem Pervigilium scripsisse arbitraretur, quia in stropha ultima verbis „Quando ego fiam ut Chelidon", poëtriae nomen significari videretur, atque e carminis ipsius argumento et ratione idem a muliere esse compositum verisimile fieret. Vibiam autem Chelidonem, licet ipsa carmen composuisset, propter eaque inter poëtrias Romanas referenda esset, fortasse latere auctorem sub Flori mariti nomine maluisse; quare factum esse ut in codicibus non Chelidonis sed Flori nomen inveniretur.

De hac viri doctissimi opinione in sequentibus prolixius loquemur.

Sarpii[15]) de Pervigilii auctore conjecturam silentio praeteriremus, nisi a viris doctis saepe ejus mentio facta esset, qui, cum libellum in quo scripta est, non haberent, rationibus fortasse probabilibus Sarpium nixum esse arbitrati, justo majus ei tribuisse videntur pondus. Haec vero illius sunt verba: „Illud procerum carmen: cras amet, qui nunquam amavit cet. cujus fragmentum codex Martisburgensis adscribit Senecae (vid. Barth ad Claudian. p. 147 ed. pr. et adverss. XVI, 6 et XLIV, 7) referendum erit, exceptis tamen primis versibus numero XXII, ad Thomam Senecam Camertem.

---

[15]) Quaest. phil. Rostochii 1819, p. 36.

Quem virum seculo p. Chr. XV ineunte vixisse, egregie demonstrat Immanuel G. Huschkius in praefat. ad Tibull. p. 15."

Quam ex vano captam esse opinionem, ex iis, quae de codicum aetate dicta sunt, sponte apparet.

Ad Bouhierii sententiam, Pervigilii auctorem Appuleji popularem fuisse, rediit J. Casp. Orellius [16]), tum ex ipsa sermonis indole, tum ex illa verborum ac sententiarum ubertate semper diffluente, Afrum poëtam fuisse colligens. „Quis vero, inquit, Pervigilium hoc composuerit, mortalis nunc prorsus ignorant; idque solum restat, ut erroribus de certa aliqua persona vel jam pridem vel nuper etiam sparsis obviam eamus."

Relatis virorum doctorum de Pervigilii auctore judiciis, Wernsdorfii expositio accuratius examinetur ante omnia necesse est; doctrinae enim atque subtilitatis, quam prae se fert, specie ita comparata est, ut lectori securo valde videatur probabilis.

Jam primum quae Wernsdorfius de Virgilii aliorumque ejus aetatis scriptorum in pervigilio perspicua imitatione docet, quisque, opinor, concedet; eaque repetere eo minus opus est, quia poëtam, quem quaerimus, ante Virgilium vixisse hodie nemo contendit. At id quaerendum est, quis primus Pervigilium imitatus sit vel certe cognosse videatur.

---

[16]) Pervigilium Veneris ad calcem Phaedri, Turici 1831 (ed. II 1832) p. 215 sqq.

Wernsdorfius in Calpurnii eclogis Pervigilii vestigia inveniri arbitratus est, atque hujus versum octogesimum primum: „Ecce jam super genestas explicant tauri latus" a Calpurnio redditum censet in Ecl. 1, 4:

Cernis ut, ecce pater quas tradidit Ornite vaccae
Molle sub hirsuta latus explicuere genista.

Deinde carminis versum quintum: „Inter umbras arborum, Implicat casas virentes de flagello myrteo" repetitum a Calpurnio in Ecl. 1, 12

„— ramis errantibus implicat umbras"

Denique Calpurnium in Ecl. IV, 9, 72, 88. VII, 5. mutuatum esse verba: „Nec me Phoebus respicit."

At hoc ultimum exemplum omnino removendum est, quippe quod ne integrum quidem legatur apud Calpurnium; altero autem „ramis errantibus implicat umbras", cui solum verbum „implicat" cum Pervigilio commune est, quid possit demonstrari, non magis video. Illi quidem duo versus in ecloga prima aliquid simile continent; nihilo secius imitatio non satis perspicua est. Nam haec verba „vaccae vel tauri explicant latus sub genesta", quibus res frequentissima, eaque simplici modo describitur, in quotidiano rusticorum sermone haud dubie saepissime usurpabantur. Quidquid vero de iis versibus statuis, Calpurnium Pervigilii notitiam habuisse inde nullo modo poterit probari; quandoquidem eodem jure contendere liceret Pervigilii auctorem illa verba a Calpurnio mutuatum esse. Et si quis Sarpium [17])

[17]) l. l. p. 14.

sequutus, illas eclogas Calpurnii nomine inscriptas ante annum sexagesimum p. Chr. compositas putaret, simulque eam imitationem vindicaret, eclogarum auctorem illos versus invenisse, Pervigilii imitatum esse negare non posset. — Equidem cum Orellio[18]) in talibus verbis imitationem non tutam esse existimo.

Rectissime vero Wernsdorfius monet[19]), Pervigilii auctorem antiquiorem fuisse Fulgentio, qui duos versus (19 sq.) non modo imitatus sit, sed ad verbum fere descripserit[20]):

Ubi guttas florulentae
Mane rorant purpurae
Humor algens, quem serenis
Astra sudant noctibus.

Quos inter versus et Pervigilium arctissimam conjunctionem esse negari non potest; nam descriptio magis est exquisita, quam qua uterque poëta sine alterius respectu uti potuerit, adeoque elegans ut eam a Fulgentio inventam et ex ejus Mythologia in Pervigilium translatam esse prorsus incredibile sit.

Wernsdorfium secuti jam respiciamus codices, ut quid inde merito colligatur appareat.

In primo codice, quem Ald. Manutius habuit, Catulli nomen Pervigilio adscriptum fuisse, jam supra dictum est; causam quaerere non opus est, quia Catullum hoc carmen non composuisse, jam inde

---

18) l. l. p. 218.

19) l. l. T. III, p. 450.

20) Mythol. l. 1, p. 152 in Mytholog. Latt. ed. Comelin. 1599.

ab J. Lipsio inter omnes constat. Hinc igitur de auctore nihil docemur.

In Pithoei libro manuscr. Pervigilium nullius poëtae nomine inscriptum est. Versus „De qualitate Vitae," qui Floridi titulum praefixum habent, Wernsdorfio valde verisimile erat ab eodem poëta, qui Pervigilium scripsisset, profectos esse. Sed illorum quoque versuum quis fuerit auctor prorsus nescimus. A Lipsio quidem nec minus a Pithoeo editi sunt sub titulo: „Floridi de qualitate Vitae," sed neuter ea inscriptione auctorem, cui Floridi nomen fuisset, supposuit; ille enim, subjectis istis Pervigilio, hoc tantum dicit: „Nihil haec ad venustatem prioris illius carminis: sed sunt haud dubie imperiti alicujus sarcinatoris ablecta[21]): et Pithoeus in indice auctorum, quem editioni suae subjecit, nullum Floridum agnovit[22]), unde utrumque apparet editorem illa inscriptione nihil aliud indicare voluisse, quam versus esse locos floridos seu florida, quo duplici titulo postea Scriverius usus est. Neque ea inscriptio habet in quo haesitemus, quoniam jam apud antiquos mos erat, ut quisque e libris, quos totos sibi parare aut nollet aut non posset, eos locos, qui maxime hac diligentia digni viderentur, in usum suum describeret; ejusque mo-

21) Injuria igitur Wernsdorfius dicit jam Lipsium illos versus Pervigili auctori adjudicasse.

22) Teste Scriverio in Baud. Amor. p. 469.

ris notissimum exemplum est Appuleji liber, qui „Florida“ inscribitur[23]).

Pergamus nunc ad tertii libri manuscr. examen, qui est Codex Salmasianus. Sed etiam in hoc Pervigilii auctoris nomen desideratur[24]). Fuere quidem, qui epigrammata quaedam „De Rosis[25])“ inscripta, cum in eodem libro reperta essent, eorumque argumentum Pervigilio non contrarium videretur, eidem poetae adjudicanda censerent[26]). Sed de eorum auctore non solum nihil constat, sed ne verisimile quidem factum est quidquam; atque, quod maxime est dolendum, quis epigrammatum sit auctor, omnes ignorant. In codice quidem scripta sunt sub Flori nomine, sed eorum auctorem Flori nomen habuisse ex hac inscriptione minime licet colligere; nam adjectiva „floridum“ et „florum“ permutata esse nihil habet quod miremur; quamobrem sive Flori sive Floridi titulus invenitur ad idem recurrit, cum utrumque vocabulum locos floridos indicet, qualia haec epigrammata haud dubie recte habentur.

In codice Martisburgensi Pervigilii fragmentum sub Senecae nomine a Barthio repertum est; quam inscriptionem, ab aliis rejectam, Wernsdorfius, ut supra diximus, in Flori nomen mutavit.

---

23) Aliter de Appuleji Floridis statuit Hildebrand: De vita et scriptis Appulej. dissert. inaugural. Halae 1835.

24) Baud. A. p. 437. p. 423. Orell. l. l. p. 220.

25) Baud. A. p. 454 sq.

26) Wernsdorf. l. l. T. III, p. 451.

Ut rectum in hac re dubia judicium feramus, ipsius Barthii testimonia audiamus ante omnia necesse est. Sunt autem haec: „Nacti sumus et exemplar scriptum Veneris illius Pervigilii, quod omnes elegantia praestantissimum norunt, sub titulo Senecae, ut quidem carie confectae litterae demonstrant. — Ex bibliotheca etiam Martispirgica exemplar perbonum indeptus sum Boethii de Consolatione —; cum alio Epistolarum Senecae non tamen adeo antiquo, sed perbono tamen.“ Quae verba [27]) scripta sunt anno 1612.

Deinde anno proximo Barthius de eodem codice hoc tradidit [28]): „In eo vero opere junctim invenimus scripta: Senecae Epistolas in Locos communes redactas. Boethium de Consolatione Philosophiae. Pervigilii Veneris fragmentum sub nomine SENECAE.“

Tunc anno 1648 jam eo ventum erat, ut scriberet [29]): „Hoc monere de universo carmine volumus; scriptum nos exemplar habere ubi SENECAE adscribitur expresse.“ Denique [30]): „Auctor inquit, Pervigilii Veneris, nec Catullus, nec Urbicarius, forte Seneca.“

Itaque Barthius a dubitatione an Senecae nomen esset, quod adscriptum erat, gradatim eo venit ut pro certo affirmaret, Senecae nomen in codice

---

[27]) Barth. ad Claudian. p. 147.

[28]) Praefat. ad Vesp. Spurinn.

[29]) Advers. XVI, 6. — [30]) Advers. XLIV, 7.

suo super Pervigilium scriptum esse, atque codicis auctoritate nisus, in ultimo testimonio vix dubitaret, quin idem merito praescriberetur.

Consideranti mihi quid de testimoniis supra transcriptis judicandum sit, hoc tenendum visum est; primum, litteras quibus Senecae nomen scriptum erat, carie confectas fuisse, deinde nomen exaratum fuisse litteris majusculis, quod quidem, etiamsi Barthius non indicasset ex vulgari librorum scriptura facile conjiceremus.

In codice Martisburgensi et alios libros et Senecae epistolas inventas esse, Barthius ipse testatur; qui tamen scriptorum singulorum ordo fuerit, quid praecesserit, quid secutum sit certiores facti non sumus. Etenim in praefatione ad Vesp. Spurinnam Barthius librorum inventorum ita fecit mentionem, ut primo loco Senecae epistolas laudaret, altero Boethii librum de Consolatione, tertio Pervigilii fragmentum; in commentariis ad Claudianum autem Boethium priorem nominat, posteriorem Senecam, qui ordo vel ideo probabilior videtur, quod eo testimonio traditur in quo vir doctissimus, ut supra demonstravimus, primum et maxime ad veritatem de codice suo scripsit. Itaque praecessit, opinor, liber Boethii, insecutae sunt Senecae epistolae, quibus Pervigilii fragmentum subjectum fuit. Notus autem est librariorum usus (et codex Pithoei in ipso Pervigilio novum documentum exhibet), ex quo ad calcem libri descripti addebant verba: „Explicit liber hujus illiusve scriptoris," eumque secutus

nescio an librarius sub Senecae epistolis scripserit: „Explicit liber SENECAE.“ Cum vero Senecae nomen, quamvis litteris majusculis exaratum, carie esset confectum, multo facilius verba „Explicit liber“ vetustate prorsus oblitterata esse debebant, ut solum Senecae nomen restaret ideoque a Barthio ad proximum titulum („Pervigilium Veneris“) referretur.

At forsitan aliquis dixerit: Quid, si ille librarius, qui codicem Martisburgensem confecit, Senecae epistolis auctoris nomen non praescripsit sed subscripsit, quo tandem jure contendis eundem in ceteris libris, quos idem codex continebat, sibi non constitisse; nam qui Senecae epistolis titulum subscripsit, eum Pervigilii quoque titulum subscripsisse nonne est verisimillimum?

At codicem Martisburgensem non ab uno sed a permultis librariis scriptum fuisse, Barthius ipse nos docet, qui in praefatione ad Vesp. Spurinnam: „Vario, inquit, omnia atramento, variaque aetate scripta;“ alium autem alio loco titulum scripsisse, non habet quod viremur.

Quae cum ita sint, in nullo libro manuscript. Pervigilium Veneris vero auctori tributum esse, mihi persuasum est; quamobrem qui de auctore quaerere non omnino desistat, aliam disputationis viam ingrediatur necesse est. Neque alia via inveniri potest, nisi ut ad ipsum carmen redeamus, indeque, et ingenio auctoris examinato, et dictione perlustrata, ex omnibus scriptoribus Latinis, quorum scripta tradita habemus, cujus potissimum indoli et scribendi ge-

neri accommodatum esse videatur, demonstrare studeamus.

Atque jam primum ex vitioso scribendi genere quo auctor usus est, carmen apparet in aenea, quae dicitur, linguae aetate esse compositum, in eaque, ut supra diximus, ante Fulgentium. Nihilo secius tantus istius temporis est scriptorum numerus, ut de singulis quaerere non liceat. At ne opus quidem est tam longa disputatione. Hoc tantum monemus de Wernsdorfii Floro etiam hic non debere cogitari, nam in paucis hujus poëtae versibus, quos Spartianus c. 16 tradidit, omnino nihil proprii invenitur, nihilque quod ullo modo cum Pervigilio possit comparari. Neque apud quemquam poëtarum Romanorum tantum ingenii ardorem tantamque verborum ac sententiarum ubertatem invenimus, quantam in carmine omnes fere agnoscunt. Exemplis quidem haec res pro sua natura confirmari nequit, sed qui e poëtis Romanis unum eligere conabitur, cui Pervigilium adjudicet, nullum, opinor, inveniet. Quamobrem Bouhierio et Orellio adsentiri non dubito, qui poetam Afrum fuisse persuasum habent. Ex omnibus autem scriptoribus Afris nescio an nullus, qui ejusmodi carmen composuerit dignior haberi possit, quam Appulejus Madaurensis. Nam mirum videtur Petr. Scriverii judicium, qui Pervigilium a Luxurio esse profectum opinatus est. Ut sterile Luxurii ingenium taceam, jam id incredibile esse videtur, carmen, quo Aetheris cum Tellure nuptiae celebrantur, atque Venus summa et potentissima Dea can-

tatur, a poeta Christiano compositum esse. Eadem de causa neque de Tertulliano neque de Cypriano, neque de Arnobio, fidei Christianae propugnatoribus, quaerere est opus. Prae ceteris vero Fulgentius ad carmen tam elegans componendum Commodiano aut Corippo vix magis instructus, quibus animis tunc Christiani Graecorum et Romanorum fabulas contemplati sint, egregie docet. Nam in Mythol. III, p. 207. sqq. ubi elegantissimam de Cupidine et Psyche fabulam, ab Appulejo acceptam, exponit, non potest non respicere ad Adami peccatum originale; atque de Virg. Continent. p. 224. primum Aeneidis versum interpretaturus de mundi redemptore loquitur. Quod vero maxime huc pertinet, de ipsa Venere idem hoc testatus est Myth. II. p. 181: „Denique ferunt poetae, quod exsectis falce Saturni virilibus, atque in mare projectis, exinde Venus nata sit. Illud nihilominus ostendere volens poetica vanitas, quod Saturnus Graece κρόνος dicitur, χρόνος enim Graece tempus vocatur. Abscissae ergo vires temporis, id est fluctus falce quam maxime, atque in humoribus viscerum, velut in mare projectae, libidinem gignant necesse est. Saturitatis enim abundantia libidinem creat. Unde et Terentius ait: „Sine Cerere et Libero friget Venus.“

Hactenus ille; ego vero ad Appulejum redeo, quem non Christianum fuisse, sed in antiquorum Deorum cultu perseverasse satis constat. Nec magis idem philosophia ab hilari Deorum veneratione revocatus est. Etenim adolescens Athenas profectus,

Platonis prae ceteris imbutus est doctrinâ, quam quanti fecerit, libro, qui „de Dogmate Platonis" inscribitur, ipse testatus est. Id vero philosophiae studio effici necesse fuit, ut vulgaris Deorum cultus, in quo plebeji homines, nihil nisi vanas ceremonias spectantes, obsoletasque verborum formulas audientes, versabantur, Appulejo ingenioso non amplius satisfaceret. Quamobrem non miror quod in itineribus, quae deinde fecit, mysteriis ubique initiatus est, de quibus fusius disseruit in libro de asino aureo. Eodem libro ostendit, quam strenue et pie etiam Venerem coluerit, neque minus, quantis ingenii facultatibus praeditus fuerit, quanta in re quaque describenda sententiarum elegantia et ubertate, quanto verborum flore et abundantia.

Cum igitur praeter Appulejum nullum scriptorem Afrum cognorimus, qui ejusmodi carmen facere aut potuerit aut voluerit, Appulejus autem et ingenii dotibus sermonisque ubertate, et antiquorum Deorum maximeque ipsius Veneris cultu, qui Pervigilium componeret valde aptus fuisse censendus sit; si cui ex scriptoribus Afris carmen adjudicaturi sumus, quem Appulejo praeferamus, non habemus. Accidit, quod in Pervigilio vocabula quaedam rariora et enuntiationes peculiares inveniuntur, quae, quamquam apud ceteros scriptores vix habent quocum comparari possint, apud Appulejum pari modo leguntur. Num Appulejus nova vocabula finxerit, an omnia, quae in ejus libris nova esse videantur, ab aliis scriptoribus aut ex quotidiano po-

puli sermone acceperit, inter viros doctos non constat. Nihilo secius apud illum nonnulla inveniuntur, quibus ceterorum scriptorum aut nemo usus est, aut Appulejo recentiores tantum. Huc referendum est vocabulum „congrex“, quod, quantum sciamus, ante Metamorphoseon auctorem (l. VII. „equinis armentis me congregem permiscuit“) nemo in scriptis usurpavit. Eodem vocabulo usus est Pervigilii auctor (v. 43 congreges inter catervas), quamquam solus Tertullianus (de poenit. 11.), Appuleji discipulus, hoc compositum videtur recepisse, quem quidem postea, cum Tertulliani sermo ut bene scribendi norma in ecclesia probatus erat, Prudentius secutus est. — Idem de nomine „Copulatrix“, quod in carmine v. 5. legitur, suspicari licet. Id enim, quamquam in Appuleji scriptis, quae nunc exstant, non invenitur, sed Pervigilio excepto, ab Ambrosio demum (Epist. 84) et Augustino (de Trinit. 11, 9.) videtur usurpatum esse, forsitan non injuria Appulejo tribuatur, qui cum Isin (Met. XI, p. 241.) generis humani „sospitatricem“ novo nomine appellarit, nescio an etiam Venerem „amorum copulatricem“ primus dixisse judicari possit.

Raro invenitur verbum „purpurare“ pro „purpureum esse“; tamen aeque atque in Pervigilio v. 13. (v. 9.) dictum est „annum purpurantem“, legitur apud Appulej. Met. X. p. 211. „labias ambrosio rore purpurantes“; quam quidem licentiam sibi indulsit etiam Columell. X, 101. „viola quae frondens purpurat auro.“

„Rosae virgines“ autem, quod v. 22 (v. 18) legitur pro „rosae recentes“ omnino, quantum equidem sciam, sine aliorum scriptorum exemplo est, nisi quod dicit Appulejus Met. III. p. 142. „hortulum perspexi, in quo praeter ceteras gratas herbulas rosae virgines matutino flore fluebant.“

Praeterea Appulejus enuntiationes complures scripsit, quae cum quibusdam Pervigilii versibus ad verbum fere conveniunt; ex quibus, quae maxime memorabiles visae sint, hasce proponam. Pervigilii stropha altera (Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis) in Met. X. p. 217. sic redditur: „Quod ver in ipso ortu jam gemmulis floridis cuncta depingeret et jam purpureo nitore prata vestiret et — promicarent rosae.“ Utriusque loci eandem esse sententiam non miror, quod res ipsa non rara est; ut vero utraque descriptio iisdem fere verbis iisque perquam exquisitis componeretur, non casu videtur factum esse. Quamobrem Appulejum cum alterum locum scribebat, alterius, quem antea scripserat, memorem fuisse censeo. Omnibus enim hominibus accidit, ut in re aliqua, quam jam antea in scriptis tractaverint, iterum exponenda, easdem sententias iisdem fere verbis etiam inviti eloquantur. Quod si verum est, quanto facilius Appulejo, in pervigilio Hyblaeo rosas veris ortu promicantes laudanti accidere potuit, ut in eadem verba incideret, quibus, consimili data occasione, in festo Corinthio enarrando usus est.

Porro est similitudo quaedam inter carminis v. 62 sqq. et id quod Appulejus de Dogm. Plat. I. p. 11. scripsit: „Sed e regione cordis venarum meatus oriuntur per pulmonum spiracula vivacitatem transferentes, quam de corde susceperunt, et rursus ex illo loco divisa per membra totum hominem juvant spiritu.“ Et sententia et verba primaria conveniunt, praeterquam quod in carmine Deae in corde sedem habenti adjudicatur, quod in philosophia naturali corporis constitutione effici dicitur.

Denique Appulejum multa carmina composuisse, quorum non pauca amatoria, ex ipsius Apologia, qua se magiae et impudicitiae accusatus defendit, est satis notum, nec minus temporum iniquitate et Christianorum odio, quo in Appulejum saevirent, cum multis aliis ejusdem libris etiam carmina omnia praeter paucos versus, Apologiae et Metamorphosibus insertos, jam diu dici deperdita.

III.

De locis quibusdam in Pervigilio Veneris emendandis.

Quod semper in scriptorum antiquorum emendatione opus est, respicere codices, quibus libri ipsi ad nos pervenerint, id, qui de Pervigilio Veneris acturus est, diligenter faciat, ante omnia necesse est. Sunt enim in hoc carmine multa obscura, multa corrupta ideoque ab interpretibus tantopere perturbata, ut si ad libros manuscriptos non redieris, quid probandum sit, quid reprobandum non satis perspicias, certoque fundamento, in quo probabiliora exstruas, prorsus careas. Codices autem Pervigilii Veneris quatuor adhuc reperti esse dicuntur.

I. Primum exemplar manuscriptum, quod Ald. Manutius habuit et cum Des. Erasmo [1] communicavit, ex antiquissima quadam Galliae bibliotheca fertur prolatum esse. In eo codice carmen Catullo tributum fuisse Erasmus docet; num vero titulus aliquis praescriptus fuerit, non satis constat. Nominatur enim ab Erasmo „Carmen de Vere," et Lil. Gyraldus [2]: „Aldum, inquit, Manutium memini dicere, se Ca-

---

[1]) Adagg. Chil. 1. Cent. 9. adag. 1.

[2]) Dialog. X de poëtis.

tulli poëma habere, quod Ver inscribitur." Verisimile est, in libro manuscripto hunc titulum carmini non praescriptum fuisse, sed a viris doctis e poematis argumento, aut e primo verbo petitum esse. Ceterum neque Ald. Manutius, neque Erasmus Pervigilium edidit, quo factum est, ut codice amisso unus tantum inde versus supersit, ab Erasmo [3]) his verbis laudatus:

Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium. (v. 92).

II. Alterum codicem Ptr. Pithoeus primus habuit, a quo J. Lipsius [4]) Pervigilium descriptum accepit, acceptumque justo titulo edidit (ao. 1580); legitur enim in libro manuscr. sub carmine: „Explicit Pervigilium Veneris." Auctoris nomen et Lipsius et Pithoeus desideravit.

III. Tertium exemplar, litteris majusculis exaratum, Salmasius ab J. Lacurnaeo accepit [5]) et paulo post (ao. 1637) Scriverio [6]) misit, ut quae volumen antiquissimum contineret, suis oculis videret. Uterque [7]) docet in codice hanc esse carminis inscriptionem: „Incipit Pervigilium Veneris, trochaico metro, sunt vero versus XXII." Nomen poetae in codice non inventum est.

IV. Denique Casp. Barthius [8]) Pervigilii fragmen-

---

[3]) Erasm. l. l. Conf. Scaliger Castigatt. in Catull.

[4]) Electt. 1, 5.

[5]) Salmas. ad Lamprid. Elegab. 20. Burmann. praef. ad Antholog. L. p. 46.

[6]) Baudii Amor. p. 435. — [7]) l. l. Conf. p. 438.

[8]) Barth. praef. ad Vespur. Spurin. Id. ad Claudian. p. 147.

tum sub Senecae nomine in codice quodam antiquae cujusdam bibliothecae Martisburgensis se invenisse professus est. Fuere quidem jam dudum, qui aut universum librum manuscr. spurium haberent, aut singulas certe quasdam partes, maximeque Spurinnae odas ex eodem codice editas, ab ipso Barthio fictas putarent [9]); nobis vero hujusmodi accusationes videntur esse graviores, quam quibus ex argumentis adhuc prolatis fidem adjungere audeamus. Neque vero Barthius totum quod habebat fragmentum unquam edidit, sed paucos tantum versus libris suis inseruit [10]), codice Pithoeano non minus vitiosos. Id igitur solum videtur memorabile esse, quod, ut supra diximus, Barthius in codice Martisburgensi Pervigilii fragmentum sub Senecae nomine invenerit, quod quomodo fieri potuerit, alio loco dictum est.

Ex illis quatuor codicibus nunc duo tantum exstant, Pithoeanus et Salmasianus, quorum uterque Parisiis in bibliotheca regia conservatur. Viri

---

9) Wernsdorf. poëtt. L. m. T. III, p. 327.

10) Versus 59—62, vide ad Aurel. Olymp. Nemes. p. 187. Adverss. XVI, 6. Versus 63—67, vide ad Claudian. p. 241., ad Aurel. Ol. Nemes. p. 232. Adverss. XLIV, 7. Versum Pervigilii Pithoeani octogesimum, quem Barthius (ad Calpur. Ecl. I, 4, p. 312) laudat, non e suo codice sed ex editione Lipsiana petitum esse ipse monet. Qui autem in carmine vigesimus tertius est, utrum ex Barthii codice an ex illa editione commemoretur (ad Calpurn. Ecl. V, 22. p. 367.) non satis constat, nec quidquam refert.

docti consentiunt [11]) e scriptura recte colligi Salmasianum saeculo septimo vel octavo, Pithoeanum nono vel decimo exaratum esse.

Cum neque Ald. Manutius neque Casp. Barthius, paucis versibus exceptis, Pervigilium ederet, jam inde ab J. Lipsio omnes editiones e Pithoei et Salmasii exemplaribus hauriebantur et etiamnunc hauriendae sunt. Quamobrem magni interest scire quam accuratissime horum utriusque scripturam. Nihilo secius in editoribus ea, quae necessaria erat cura et fides diu desiderabatur, praesertim quum Pithoeus multoque frequentius Salmasius suas emendationes vel conjecturas in carmen recepisset, ut saepenumero ambiguum esset, quid codices haberent, quid viri docti de suo posuissent. Quam ut tolleret dubitationem Orellius V. D. ante hos decem annos ex utroque codice Pervigilii apographa summa diligentia confecta edidit, quibus perlustratis de ipsorum librorum pretio et affinitate nunc aliquanto confidentius dicere licet. Atque id quidem cognitu facile est, librum Salmasianum, ut sit antiquior, ita etiam multo correctiorem esse, vel potius minus depravatum. De affinitate non item constat. Orellius: „Tanta, inquit, est autem inter utrumque discrepantia, ut manifesto ex diversis exemplaribus sint descripti." Equidem contrarium profiteri mallem.

---

11) Fr. Osann, Allgem. Schulzeitung, Abth. II, Nr. 116. ao. 1828. — J. Sillig, Jahns Jahrbüch. T. VIII, Hft. I. p. 201. Orelli, praef. ad Pervigil. Ven. 218.

Discrepantia quidem inter utrumque est satis magna, sed discrepantia, etiamsi ea major esset, quominus ex eodem exemplari utrumque descriptum esse putaremus, non impediremur. Quid? Quod librariorum negligentia diversa vitia in utrumque facile irrepere poterant, multoque certe facilius quam iidem corrupti loci in libris ex diversis, iisque inter se non cohaerentibus codicibus descriptis inesse possunt. Itaque similia potius in utroque vitia conquirenda sunt, quibus, si plura et exquisitiora inventa fuerint, quam quae casu pariter commissa videantur, spreta aliorum locorum discrepantia, librorum ipsorum commendatur affinitas. Talis autem vitiorum perspicuorum communio exstat in his:

v. 29. Et puer, pro: It puer. — v. 35. inermis pro: in armis. — v. 50. adsederunt pro: adsidebunt. — v. 54. montes, pro: fontes. — v. 58. rigentibus, pro: recentibus. — v. 62. fletus (alter flaetus), pro: fetus. — v. 66. matrem, pro: patrem. — v. 81. aonii, pro: tauri.

Gravissimum autem argumentum in eo positum esse existimo, quod trium illorum versuum (vv. 9 — 11), qui primam stropham, tamquam altera stropha essent, excipiunt, in utroque libro eadem est falsa collocatio, quam paulo infra demnostrare conatus sum.

Quae cum ita sint utrumque librum manuscr. ex eodem fonte fluxisse non dubito agnoscere.

Loci emendandi.

vv. 8 — 11.

De hac stropha quid statuerent, viri docti jam inde ab J. Lipsio, qui eam mutilam esse suspicatus erat, multum dubitabant. Atque si ulli carminis loco huic maxime opus esse videtur medicina. Ne dicam de versuum, quos haec stropha continet, paucitate, in eo haud dubie haerendum est, quod non intelligitur quo pertineat particula illa demonstrativa „Tunc", quae in strophae initio legitur. Cum praecedentibus nullam ei esse conjunctionem et ex sententia et verbi („Fecit") tempore praeterito apparet. In praecedentibus enim poeta egit de festo Veneris solemni crastino die instaurando, in hac autem stropha, quamvis a particula demonstrativa incipiat, nihil de re ulla futura dicit, sed omnia pertinent ad actionem jam dudum perfectam et verbi tempore praeterito enuntiata sunt. Accedit quod ipsa sententia, quae in hac stropha inest, hoc loco prorsus inepta videtur esse. Etenim in tertia stropha poeta redit ad Venerem flores producentem, qualem eandem in prima stropha exeunte jam obiter tetigit. Quamobrem totam hanc stropham alteram ab hoc loco removendam esse censeo; quo facto, quin ab Dea casas myrteas exstruente ad Deam purpureis floribus prata decorantem poeta recte progrediatur, non est dubium. Hoc igitur quaerendum est, quid de quatuor illis versibus statuamus; utrum eos e carmine omnino ejiciamus, an in alium locum

transponamus. Haud dubie, opinor, ad transpositionem confugiendum est. Sententia enim, quippe quae in eo versetur, ut Dione sanguine superno et spuma maris procreata laudetur, nulli loco convenientior esse potest quam strophae septimae, in qua Aetheris cum Tellure nuptiae describuntur. Quamobrem ad illam stropham pertinere censeo stropham alteram, in eamque recipiendam post v. 62 (Unde fetus —), ita quidem, ut versus intercalaris ejiciatur. Quo facto sententiarum nexus optimus exsistit; quia per „Tunc“ illud tempus indicatur, ubi in connubio divino maritus imber in almae conjugis sinum defluxit, ubi igitur „cruore de superno spumeo pontus globo“ Dionem procreare potuit.

Neque solum tres illi versus hac transpositione probata, habent quo commode referantur, sed etiam ipsa, in quam eos recepimus, stropha aliquanto perfectior redditur. Nam versuum praecedentium (59—62) quibus Aetheris cum Tellure connubium celebratur, nisi inde Venerem natam esse additum fuerit, quae sit cum Veneris festo conjunctio, non satis perspicuum est. Insequentes autem versus sine nostra emendatione frigidi essent, quia poëta prorsus ex improviso (pronomine Ipsa) loqueretur de persona non nominata, quaeque vix subaudiri posset.

Ceterum versu intercalari ejecto, alia simul tollitur dubitatio, de qua quidem pauca dixisse satis erit. Codex enim Salmasianus in carminis inscriptione exhibet verba: „Sunt vero versus XXII“, quae nonnullis interpretibus tam graves scrupulos

injecerunt, ut primos tantum XXII versus Pervigilio Veneris adjudicarent, ceteros nescio quo pertinere opinati. Justam emendationem jam vidit Scriverius, qui numerum XXII in XCII mutandum censuit. Cum vero carmen in codicibus non XCII sed XCIII versus amplecteretur unus ex omnibus relegandus ei visus est; quem quidem relegaret non aeque prospere invenit. Primum enim totius carminis versum praecidi debere verisimile habuit; haud minus sane temere quam alii, qui ultimum abripere maluerunt. Neque primum, neque ultimum, sed eum, qui in codicibus octavus est, spurium esse, eoque ejiciendo libri manuscr. inscriptioni, qualis a Scriverio restituta sit, satis faciendum esse, ex iis, quae supra disputavimus, sponte apparet.

v. 13.

Cod. P. Ipsa gemmas purpurantem pingit annum floribus.

Cod. S. Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus.

Codicis P. scripturam „gemmas“ falsam esse omnes consentiunt; „floribus“ autem, quod uterque codex exhibet, interpretes maximam partem tueri conati sunt. Frustra, me quidem judice. Verum Rigler. vidit, cum „floridis“ restitueret; nam gemmis floridis opponuntur in sequentibus papillae surgentes et nodi tumentes. Conf. quae diximus p. 18. 19.

v. 15.

Cod. P. Urguet in totos pentes —

Cod. S. Urget innotos penates —

Magna de hoc versu conjecturarum multitudo. Lips. „in toros tepentes". Pith. „toros stupentes". Scriv. „toros parentes" vel „tepentes" et postea „nudos penates". Wernsdorf.: „Inhaerendum censeo, inquit, Salmasianae lectioni et notos penates interpretor corticem nascentis rosae, quem quasi domicilium suum magis magisque implet, usque dum pandat se et in calathum abeat." Huic adsentit Orelllius.

At quis unquam corticem nascentis rosae penates esse dixit aut dicere potuit? Equidem in utroque cod. verum cum falso mixtum esse censeo. Ex cod. S. probo nomen „notos", una littera excepta; ex cod. P. syllabas „— pentes" (ante quas haud dubie lacuna est) una iterum littera excepta. Velim enim pro „in notos" scribatur „in nodos", quae permutatio inter d et t facile fieri potuit, et in utroque cod. saepius facta est. Nec audacius est conjicere „— pentes" corruptum esse ex „— mentes"; nam si in eo codice unde nostri fluxerunt scriptum erat litteris majusculis „— MENTES, nescio an librarius securus legerit „— PENTES; cujus erroris certum exemplum exstat in utroque cod. v. 74. ubi pro „patrem" scriptum est „matrem" (PATREM). Syllaba ante „— mentes" deperdita facile restituitur, fuit haud dubie „tu —"; tumentes enim nodos hoc loc optime dici apparet, confirmatumque est locis quibusdam huic simillimis. Plin. H. N. XXI, 4. Epigramm. de rosis in Baud. Amor. p. 446. „In nodos urgere" dicit Augustin. de Ord. V, 14.

v. 34.

Uterq. cod. nymphae cavete.

In Baud. Amor. ubi p. 180 Pervigilium ex recensione Lipsii redditur, mutata verborum collocatione scriptum est „cavete nymphae“, casu haud dubie, nam Lipsius ipse in Electt. 1, 5 „nymphae cavete“ edidit. Idem error repetitus est in Baud. Amor. p. 431, et iterum casu, ut ex loco ipso paulo infra satis apparet. Hoc moneo propter Orellium, qui in commentariis omnino errat, et in carmine injuria scripsit „cavete nymphae“.

v. 35.

Uterq. cod. Totus est inermis —.

Pith. conjecit „in armis“, metro quidem obstrepente, quapropter Scriverius versui et sententiae maluit consulere hac trajectione: „Est in armis totus.“ Schulzius codd. lectionem vindicare tentavit; etiam Orellius „inermis“ edidit, et: „Vitia metrica, inquit, vel mediocri istius aetatis poëtae ultro inferre nunquam debemus.“

Codicum lectionem sententiae non accommodatum esse, quomodo negari possit, non video. Etenim in praecedentibus virgines jubentur sine metu esse et Amori comiti fidem adjungere, quippe qui, cum armis depositis „inermis et nudus“ incedat, puellis nullo modo arcu, sagitta, igne periculosus sit; nunc vero (v. 34. Sed tamen —) hortatio subjungitur ne virgines nimis securae sint. Quae autem vis et ratio cautionis habendae in hac admonitione inest, si Amor iterum „inermis“ esse dicatur.

Eum inermem esse, qui nudus sit, re ipsa apparet, idque docere et omnino otiosum est, et hoc loco plane ineptum, quia sententiarum nexui repugnat. Verum enim vero, hoc est miraculum mundi, quod Amor nudus totus in armis esse putandus sit. Itaque rejiciendam censeo ineptam librorum manuscr. scripturam. — Metrum ut sanetur trajectionem probare dubito, ne vocabulum „Totus" quod videtur maxime esse urgendum, removeatur a versus principio. Vitia metrica in hoc carmine non inaudita sunt. Conf. v. 55 pueri; v. 72 Romuleas.

v. 46.

Cod. P. Detinent et tota nox est —

Cod. S. Detinente tota nox est —

Codices in eo conveniunt, quod exhibent: „Detinente"; littera t, quae in cod. P. abundat, e prima insequentis vocabuli (tota) littera, falso duplicata, originem duxisse apertum est. Sic cod. P. v. 33 quid digne, pro quid igne. Detinente autem scriptum esse censeo pro: Detinenda, nam t et d permultis locis permutata sunt (cf. cod. P. v. 16 relinquid, v. 39 incruendum) et vocalium in exitu positarum corruptione nihil frequentius (cf. v. 19 florulente purpore). Velim igitur scribatur „Detinenda tota nox (est)", quod jam restituit Heinsius ad Ovid. ex Pont. IV, 10, 67 ubi aeque atque hic legitur „detinere tempus"; et Ovid. Met. 1, 683 „detinere diem" pro: explere tempus aut diem.

Fuere quidem, qui etiam in his locis tantopere offenderent, ut pro „detinuit" mallent „deminuit";

merito autem Heins. l. l. laudat Manil. „noctesque tenebit“ quodsi dicere licet, non minus recte „noctes detinere“ dicamus. Conferas vero „tempus occupare“ et „tempus occupatum tenere in aliqua re“ i. e. tempus aliqua re occupatum tenere, qui autem tempus occupatum aliqua re tenet, haud dubie tenet tempus aliqua re.

Ceteras virorum doctorum conjecturas cum jam ab Orellio satis explosas videamus, repetere nolumus. Ipsius vero Orellii emendatio: „Detine te“ quam „interpretatur“ morare ubi es, „noli accedere“ minus probabilis est; primum quod non intelligitur, quomodo littera n (quam ille ejecit) in codices falso irrepserit, deinde ipsa significatio „morare ubi es, noli accedere“ probari nequit. Diana nonne habitat in silvis? Ibi vero eam morari virgines nolunt cum (versu sequente) hoc potius petant ut illa recedat.

v. 52.

Cod. P. Hibla florum rumperes te quant' —

Cod. S. Hybla florum superestem quantus —

Infinitus fere est de hoc versu conjecturarum numerus, quibus nostram non addere non possumus. Quae enim adhuc exstant, aut nimis artificiosae sunt, aut longius recedunt ab utroque codice, aut nituntur corruptiore cod. P. scriptura, in qua syllaba „rum —“ respuenda erat, cum nihil aliud sit nisi praecedentis vocabuli pars extrema, vitio repetita. Itaque lectioni cod. S. est omnino inhaerendum eaque haud difficile corrigitur. Quam facile litterae m et p permutari possent, ad v. 15

demonstravimus; idem hoc loco factum esse verisimili est. Pro „restem" scribendum esse „vestem" viris doctis adsentio; quamobrem, remotis ceteris omnibus conjecturis „sume vestem" est restituendum. „Sumere" vestem pro: induere dicit etiam Horat. 1, 2, 16 („modo sumpta veste virili") aliique.

v. 60.

Cod. P. Ut pater totis crearet vernis annum nubibus.

Cod. S. Ut pater totis creavit vernis cet.

Conjunctivo „crearet" merito praefertur indicativus cod. S. — Magna autem dissensio erat inter viros doctos de codicum lectione: „totis — vernis — nubibus", quam vix tolerari posse constat. Haberet enim nomen „nubibus" duo adjectiva, „pater" autem et „annum" ne unum quidem quo numerus poeticus et elegantia, quam carminis auctor in locis similibus observavit, prorsus laederetur. Quamobrem jam Pithoeus conjecit: „vernus", quod placuit Scriverio, Wernsdorfio, Orellio. At patrem quia verno tempore totis (i. e. omnibus, permultis) nubibus annum creet „vernum" dicere dubito; multoque malim „vernis" conjungere cum nubibus et pro „totis" scribere „totum", ut pertineat ad „annum" et haec sit sententia: „pater effecit, ut totus annus (i. e. totius anni foecunditas) originem duceret ab vernis nubibus." — Metrum in talibus non anxie est curandum.

Ceterum Salmasius hanc nostram conjecturam tanquam libri manuscr. lectionem edidit.

VITA.

Jacobus Gustavus Henricus Heidtmann, confessioni evangelicae addictus, natus sum Bardii, a. d. IX. Kalend. Novemb. anni hujus saeculi XVI., patre Joachimo Jacobo, matre Johanna e gente Ehlers, quibus vivis laetor. Primis litterarum elementis usque ad quintum decimum aetatis annum in schola Bardensi, quae tunc Gebhardio Rectore, viro optime de me merito, floruit, imbutus, gymnasium Sundense, sub auspiciis Directoris Dr. Nitzii etiamnunc vigens, adii. Cujus praeceptoris doctissimi, nec minus Dr. Hasenbalgii, paedagogii Putbussiensis nunc Directoris, Dr. Koesteri, gymnasii Flenopolitani nunc Rectoris, Dr. Fresii, gymnasii Stargardiensis nunc Prorectoris, Dr. Crameri, Dr. Schultzii, de gymnasio Sundensi etiamnunc bene merentium, Dr. Stangii, qui ante hos octo annos obiit a multis defletus, per quinque annos fructus institutione, autumno anni MDCCCXXXVII, testimonium maturitatis nactus, ad universitatem litterariam Gryphiswaldensem dimissus sum. Ibi in civium academicorum numerum ab Ill. Niemeyero, t. t. Rectore Magnifico receptus, per tria semestria philologiae

studio me dedi. Interfui vero hisce praeceptorum Illustrissimorum scholis, philologicis Ill. Schoemanni, philosophicis Ill. Stiedenrothii, historicis Ill. Bartholdi, theologicis Ill. Kosegartenii, Ill. Vogtii, Cel. Baieri.

Gryphia profectus sum Jenam, ubi a Rectore Magnifico Ill. Guyetio in album academicum inscriptus, prae ceteris Ill. Goettlingium assidue audivi. Multa praeclara in hoc viro cognovi, uberrimam doctrinae copiam, gravitatem comitate conditam, at nihil dulcius, quam qua liberalitate me ipsum recepit; qui cum primum, Ill. Schoemanni litteris commendaticiis ornatus, appropinquavi, non jam peregrinus in peregrina civitate, sed quasi indigena atque in praeceptoris praestantissimi familiam admissus viderer. Neque Ill. Reinholdi, Cel. Wolfii, Cel. Grimmii erant steriles scholae, aut injucunda colloquia; in Ill. Hasio autem, quem ut doctrinam dogmaticam discerem, adii, id quod theologiae caput est, caritatem Christianam, mirum in modum perfectum vidi.

Post annum universitatem litterariam Fridericam Guilelmam Berolinensem petii, in qua, a Rectore Magnifico Ill. Twestenio inter cives academicos receptus, in philologicis Ill. Boeckhium, in archaeologicis Ill. Panofkam, in historicis Cel. Muellerum et Cel. Doennigesium audivi.

Berolino Gryphiam redii, ubi, in civium academicorum numerum ab Ill. Schoemanno, t. t. fasces academicos tenente, receptus, virorum illustrissimorum, celeberrimorum praeceptorum hisce scholis usus sum: philologicis Ill. Schoemanni, philosophicis Ill. Stiedenrothii, paedagogicis Cel. Haserti, theologicis Cel. Mathiesii.

Quibus omnibus viris, egregie de me meritis, gratiam me habere quam maximam publice nunc juvat profiteri. Duorum autem, ad quos plurima, et scholis quotidianis et insigni humanitate accepta, refero, alterum, Ill. Goettlingium, paullo fusius jam supra laudavi; de altero vero diceremne an tacerem aptius hoc loco incertus, abstinere a laudatione malui, ne animi sensa in adulationem aucta esse viderentur.

THESES.

I.

Errant qui inde ab Apollonio (π. σ. I, 3) docent, inter partes orationis nomen primo, verbum altero loco ponendum esse.

II.

Doctrinam, a Kuehnero propositam, in lingua Graeca optativum nihil aliud esse, nisi conjunctivum temporum historicorum, falsam esse censeo.

III.

In judicio Areopagitico minori quam dimidio suffragiorum numero reum absolvi potuisse, ex Aeschyl. Eum. nequit demonstrari.

IV.

In Sophocl. Antig. v. 782 (Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις) ἐν κτήμασι πίπτεις est per prolepsin interpretandum.

V.

Verba Caesaris de bell. Gall. III, 2. „— sibi persuasum habebant" ab interpretibus injuria conjuncta sunt.